

P V I S



1 6 0 3

11

50.

**ALLEGORIA PICTV.
RAE CHRISTOPHORI RECITATA**
per dialogum a Georgio Thymo Cygnæo Recto-
re Scholæ literariæ in vrbe inclytorum
Comitum Stolbergensium
VVerngeroda.

ADDITA SVNT ET D. PHILIPPI
Melanthonis, item Iohannis Stigelij, &
aliorum authorum de Christopho-
ro carmina insignia & non
inconcinna.

ca.

VVITEMBERGAE.
IN OFFICINA.
Thomæ Klug.
M.D.LV.
MENSE SEPTEMBRI.

26

EGREGIA INDOLE ATQVE OP-
tima virtute præditis adolescentibus Heinrico & Adolpho
V Verneris præclarorum virorum D. Christophori &
D. Andreae singularium tam studiorum quàm stu-
diosorum fautorum in inclyta Republica
Halberstadenſi ciuium eximio-
rum Filijs. S. P. D.

Continet Allegoria Christophori valde insignem, &
consideratione dignam picturam in isto Dialogo per
Erotemata succinctis additis responsionibus ob oculos po-
sitam de multis rebus vtilibus, & in Ecclesia DEI pijs con-
cionatoribus admodum salutaribus. Vnde & hanc imagi-
nem non nisi prudenti consilio à veteribus excogitatam,
ac olim hinc inde passim in singulis ferè Ecclesijs depictam
omnes studiosi summo studio sibi commendatã habeant, et
multoties relegant, vt tam illustris picturæ periucundam
Allegoriã eo altius, diligentiusq; memorię infigant. Qua
pictura haud dubie significare, et hominum oculis demon-
strare voluerunt verbi diuini Mystas, & Doctores, quos
Deus singularibus virtutibus ornauit, diuino auxilio gu-
bernari, atq; in periculis vitæ defendi. Præterea illos, qui
Ecclesiarum gubernationi præsunt Deo præcipue curæ
esse, & eorum consilia ac roborata ab ipso iuari, & ab insi-
dijs crudelissimorum Tyrannorum, sacræq; religionis An-
tagonistarum diuino præsidio liberari, ac tegi. Cumq; adeo
Christophorus verbi diuini doctorem repræsētet, et nobis
demonstret filiũ Dei dominum Iesum Christum, vnde et
Etymologia vocabuli suam originem ex Græco desum-
ptam habet, non est, quod vel quisquam putet se in hisce
versibus perlegendis frustraneum, & inutilem esse consum-
pturum laborem. Eo autem libentius hoc carmen in mul-
torum manus peruenire passus sum, quod huius editionem
probauisset, & consilio suo iuisset reuerendus vir, & ob-
seruan-

A ij

seruan-

seruandus D. Praeceptor Philippus Melanthon. utq; quic
quid est huius operæ, quod in isto Dialogo conscribendo
consumpsi, haberet tanquam tutelares aliquos defensores,
en ego vos duos adolescentes præ omnibus alijs elegi, qui-
bus illud qualecunq; Poëma dedicare volui, & omnino
spero, quod hanc meam opellam benigne complexuri, &
pro singulari beneuolentia boni consulturi sitis. Nam pos-
teaquam Heinricæ suauissime mihi cum patre tuo dilectis-
simo iam satis longo tempore magna intercessit familiaris-
tas, noticia, et coniunctio, non certe potui intermittere,
quin tandem aliqua re declararem mihi pergratam esse
tanti viri familiarem necessitudinem. Ac ut etiam
amoris, & fauoris mei, quo ego Georgius Christo-
phorum parentem longe suauissimum amplector, haud in-
certa elucescant vestigia, visus sum me operæ pretium fa-
cturum, ut publico aliquo scripto in lucem edito tester,
quod etiamsi non erga eum ipsum fiat nominatim, sed pos-
tius erga te suum charissimum filium, nihilominus tamen
mihi facile persuasum habeo tuo parenti meum conatum,
& studium æque tam gratum fore, atq; si suo ipsius nomi-
ni dedicatio esset inscripta. Sunt insuper & aliæ causæ, pro-
pter quas partim tibi, partim Adolpho consecrare volue-
rim, quarum ea non est minima, quod optimus vir huma-
nissimus tuus parens Heinricæ charissimæ propriū nomen
Christophori inditum habeat, ut tibi eius vocabuli Græci
vim, significationem, & deriuationem breuiter dilucida ex-
plicatione ostenderem, ut inde tanto facilius disceres, quid-
nam per idem Allegorice significetur. Ad hæc accedit &
illud, quod mihi bene perspectum sit & Heinricæ & Adol-
phe vestros amborum parentes homines sanè grauissimos
maximo amore, & fauore prosequi non tantum studia libe-
ralium artium, verum etiam quoslibet homines studiosos,
& studiorum sectatores sedulo fouere, & pro virili iuuare.
Quid vero potest vnquam esse homini laudabilius, quam
si de

si de bonis literis, & viris literatis honorificentissime tum
sentiatur, tum quantum possit, prouehat: Non incognitum
est plerisque uestratibus quam bene mereri de uerbi diuini
ministris, scholæ gubernatoribus, & hypodidascalis una
cum multis alijs usque studuerint, & studeant, in quos
quidem promptissima animi uoluntate ex liberali munifi-
centia beneficia non uulgaria conferre dignati sunt hacten-
us, & indies magis magisque cum magnis sumptibus dis-
gnantur, id quod utrisque maximæ laudi datur, uti nec im-
merito. An non hoc est dignissimum laude, quod Ecclesia
am pariter, & Scholam apud uos ad S. Ioannem quantis
potuerunt beneficijs ornare, & iuuare, minime sint grauati:
ut enim certo constat non contemnendum argenti sub-
sidium erogauerunt, & contribuerunt ad salutare Paro-
chiæ commodum, & ad conseruanda scholastica munia,
unde satis honeste sese tum parochus, tum Scholæ, col-
legæ sustentare queant, sed quotus quisque diuitum hodie re-
peritur, qui liberaliter soleat iuuare Lazaros egenos?

Vix certe numero multis est millibus vnus,

Tam paucos adeo nunc reperire datur.

Et tales, doctis faueant qui mente benigna,

Cum templis ludos officijsque iuuent.

Maxima turba quidem benefactum haud erogat vllum,

Quo sacras aedes prouehat, atque scholas.

Sic sic spreta iacet sacrosancta Ecclesia CHRISTI,

Sic schola inops misere sub pedibusque iacet.

Recte igitur & laudabiliter faciunt uestri parentes,
quod fauorabiliter respexerint, & respiciant miserabilem
Ecclesiæ, & Scholæ statum, officioseque iuuent tam fideles
in uinea Domini operarios, quam eos, qui in molestissimis
pulueribus scholasticis miserimam degere vitam plerumque
cogantur. Ad horum exemplum & uos in hoc iugiter in-
cumbite, ut iam in iuuenilibus annis discatis in primis a-
mare DEVM ex corde, & eius salutarem doctrinam am-
plecti

A iij

plecti



plecti, & deinde iuuare pios pastores, ac fideles, diligentesq; Scholæ gubernatores debitis officijs. Id enim Deo gratum erit, & proximo vestro perquam conducibile. Oro deniq; æternum patrem Domini nostri IESV CHRISTI, qui cum filio coæterno, & Spiritu sancto condidit coelum, & terram, & genus humanum, in quo sibi Ecclesiæ voce Euangelij ad æternam salutem colligit, vt pro immensa sua bonitate vestros parentes ad multorum salutem, & vtilitatem diu superstites conseruet, vos simul, & studia vestra, quo fieri possitis aliquando vasa misericordiæ, & organa salutaria tam Ecclesiæ, quam Reipub. Spiritu suo sancto foeliciter regat atq; gubernet. Datum Vitebergæ Calendis Septembris Anno M. D. LV.

Vestri Studiosissimus Georgius
Thymus Cygnæus Rector scho-
læ literariæ in vrbe inclyto-
rum Comitum Stolbergensium
VVerngeroda.

ALLEGORIA PICTURAE CHRISTOPHORI recitata Elegiaco carmine per Georgium Thymum Cygnaum in quo colloquuntur Personae Theophilus & Christianus.

THEOPHILVS.

CHRISTOPHORI quemnam designat imago colossi
Quæso mihi paucis expedisse velis?

CHRISTIANVS

Tam vastæ molis oculis subiecta figura
Doctorem verbi denotat ista sacri.

THEOPHILVS.

Sed quare Christum complectens gestat in vlnis,
Inq; suo gremio membra calore fouet?

CHRISTIANVS.

Scilicet vt monstret cunctis mortalibus illum,
Filium & vnigenam prædicet esse DEI.

THEOPHILVS.

A quo sortitur nomen tam dulce, piumq;
Dicitur & tali nomine Christophorus?

CHRISTIANVS.

Quod ferat is Christum manifeste, & origine græca
Constat ab hoc ipso nomen habere suum.

THEOPHILVS.

Corporis immensi moles cur pingitur ingens,
Vt vere in templis picta figura refert?

CHRISTIANVS.

Id fit propterea, quoniam præconibus ipsis
Magnum animo forti robur inesse decet.

THEOPHILVS.

Oceanum ingrediens quare quascunq; procellas
Inuadit diras, & fugat arbore aquas?

Chris

ALLEGORIA DE CHRISTOPHORO.

CHRISTIANVS.

Impiger infracta calcat quod mente per vndas
Aequoreas, mundum denotat ecce malum.

THEOPHILVS.

Cur ita per medios fluctus incedit aquarum
Littus ad extremum traiciendo fretum?

CHRISTIANVS.

Calibus innumeris quia multa pericula vitæ
Sæpe subire decet, qui pia verba docet.

THEOPHILVS.

Perniciem interitus verum minitantia passim
Cur circum circa monstra marina natant?

CHRISTIANVS.

Illa solent fauos representare Tyrannos,
Qui, quacunq; queunt parte nocere, nocent.

THEOPHILVS.

Paruulus est nepuer, ceu paruulus esse videtur,
Quem gremio magnus baiulat ille Gigas?

CHRISTIANVS.

Creditur in mundo quamuis puer esse pusillus,
Cœlesti tamen est maximus ille throno.

THEOPHILVS.

Sed puer exiguae cur dicitur esse staturæ,
Vt quem Christophorus portat vtraq; manu?

CHRISTIANVS.

Namq; pusilla nimis quandoq; potentia Christi
Rebus in aduersis cernitur esse Dei.

THEOPHILVS.

Ex animi nunquid sententia, & omine læto
Christophoris cedunt omnia fausta pijs?

CHRISTIANVS.

Sæpe suos vere tum deseruisse videtur,
Quando subinde illos dura pericla probant.

Theo

CARMINE ELEGIACO REDDITA

THEOPHILVS.

Tempore num quouis Christus Deus adiurat almi
Doctores verbi, tum quoq; dexter adest:

CHRISTIANVS.

Non : faciunt rerum iacturam at saepe suarum,
Qui tradunt fida verba sacrata fide.

THEOPHILVS.

Ergo adeo irascens illis opponere sese
Tentat, & ostendit nil superesse spei :

CHRISTIANVS.

Terreat hos quamuis, minus attamen opprimit, atqui
Eripit è duris pro bonitate malis.

THEOPHILVS.

Nunquid Christophorus donec vada sulcat aquarum,
Immersus pelago concidit, atq; perit :

CHRISTIANVS.

Non : sed sustentat sese validissimus heros
Arbore, qua nixus protinus erigitur.

THEOPHILVS.

Quid rogo designat succrescens arbor in altum,
Arida principio, postmodo fronde virens :

CHRISTIANVS.

Hac Verbum, Christus quod protulit ore sacratum
Temporibus priscis, significare volunt.

THEOPHILVS.

Diuini verbi paucis nunc ordine quaeso
Vfus, & effectus quis solet esse refer :

CHRISTIANVS.

Id parit innumeros, ac vbere foenore reddit
Multiplices fructus, qui bonitate vigent.

THEOPHILVS.

Insuper an nullum pro commoditate salutis
Officium praestat dogma perenne DEI :

B

Christi

ALLEGORIA DE CHRISTOPHORO

CHRISTIANVS.

Quin Euangelij Doctorem, Ecclesiam & ipsam
Protegit, & seruat, pascit, alitq; simul,

THEOPHILVS

Iudicio æquali num sic sentire putantur
Mortales omnes, quos vagus orbis habet?

CHRISTIANVS

Impia diuersum gens iudicat, atq; prophanans
Christi doctrinam prorsus inutilem habet.

THEOPHILVS.

An contemptores tales impune relinquet
Omnipotens olim conditor ipse DEVS?

CHRISTIANVS.

Ah infœlices, & cæcos quoslibet vsq;
Osores verbi plurima damna manent,

THEOPHILVS.

Quid sibi vult canus senio confectus honesto,
Littore qui pelagi præuius ille præit?

CHRISTIANVS.

Nil aliud certe, quam, qui docuere, prophetas
Ante DEVM natum, denotat ecce senex.

THEOPHILVS.

Cur gerit accensa grandæuus lampade Lychnum,
Quem tenet extensa longius inde manu?

CHRISTIANVS.

Fax præmissa refert venturi oracula CHRISTI,
Quem prædixerunt turba sacrata prius.

THEOPHILVS.

Quod tenet in pera panem, piscemq; repostum,
Quid notet expedias pro breuitate precor?

CHRISTIANVS.

Ne desit victus, vel certa alimenta ministris,
Relligione pia qui sacra verba docent.

Theo

ELEGIACO CARMINE REDDITA.

THEOPHILVS.

Anne Magistratus verbi plerisque ministris
Dignas pro digna sorte ministrat opes?

CHRISTIANVS

Infandum dictu curam quam negligat istam,
Vix præbet, foueant corpus vt inde suum.

THEOPHILVS.

Cogitat in tantum non præmia digna laborum
Discipulis CHRISTI suppeditare pijs?

CHRISTIANVS.

Impia quid numeret luxu gens dedita turpi,
Cogit eos dira penè necare fame.

THEOPHILVS.

Absit vt hoc faciat contemptu religionis
Digna suis titulis turba verenda patrum.

CHRISTIANVS.

Id fieri certum est, velut experientia testis,
Nec sanè falso res satis ipsa probat.

THEOPHILVS.

Curia forsan inops erit, ac ærarium egenum,
Vt sine iactura non dare possit eis.

CHRISTIANVS

Sed minus exiguos redditus, qui nempe quotannis
Proueniunt largi, constat habere tamen.

THEOPHILVS

Quid si nonnunquam proprium conuertere in vsum
Auderent aliqui publica & illa bona?

CHRISTIANVS.

Non incredibile est bona sic Ecclesie auaros
Prorsus inutilibus dilapidare modis.

THEOPHILVS.

Nunquid acu totam me rem tetigisse fateris?
Sic adeo stultus colligo mente mea.

B ij

Chris



ALLEGORIA DE CHRISTOPHORO

CHRISTIANVS.

Inficias minime possum nunc ire profecto
In medium allatum verius esse nihil,

THEOPHILVS.

Interea premitur duris Ecclesia rebus,
Et patitur miseram iustus in orbe famem.

CHRISTIANVS

In tantum curant cum Christo quosque ministros,
Quantum epulo diues Lazaron ante fores.

THEOPHILVS.

An recte faciunt, qui defraudare laborant
Mercedem dignam turba prophana pijs?

CHRISTIANVS.

Quam gratum praestent opus hac ratione Tyranni
Officium Christo, iudicet ipse Deus.

THEOPHILVS.

Christophori effigies diui cur picta peraeque
Omnibus in templis conspicienda datur?

CHRISTIANVS.

Non ideo pingi quondam fecere priores,
Vt cultu celebrent, numen & esse putent.

THEOPHILVS.

Qua causa moti depictum proposuerunt
Ante oculos nostros omnibus ergo locis?

CHRISTIANVS

Officij nostri, simul & quoque conditionis
Vt nos admoneant, constituere palam.

THEOPHILVS.

Ex hac insigni pictura denique quosuis
Christicolas vere quid didicisse decet?

CHRISTIANVS.

Inde est discendum, qualis puta debeat esse,
Qui verbum Christi praedicat ore pio.

ELE

ELEGIACO CARMINE REDDITA.
EPILOGVS AD LECTOREM.

Hæc de Christophori Doctoris imagine sancti
Quisq; pius summam nouerit esse breuem,
Siquis in hoc vigili meditabitur omnia mente,
Inueniet tali singula habere modo,
Pluribus & quamuis essent tractanda, sed ipsum
Auocat à calamo munus, onusq; scholæ,
Dumq; adeo tandem iubet hic requiescere PLATO,
Nec labor in ludo scribere plura sinit.
Materiam hanc ipsam tractandam denuo sumam,
Quam primum deinceps oia nactus ero.
Nam deplorandum, prope quod Respublica nulla
Pastores miseros respicit, atq; fouet.
Digna querela ergo post instituenda seorsim
Vberiore modo pro ratione loci.
Interea his breuib; perlectis ordine Lector
Esto contentus, viue, diuq; vale.

ALLE: D PHILIP. MEL. DE CHRISTO. IMA
gine, vnde potissimum hæc eadem vice dialogi tra
ducta sunt in versus elegiacos à Georgio Thymo.

Christophori imago in hoc depicta est, quæ significat
Euangelij Doctorem. Is enim Christum gerit mon
strandum alijs. Oportet autem magnum animi robur esse
in tali. Ideo pingitur magna corporis moles. Nam infi
nita pericula subeunda sunt docenti Euangelium. Ideo per
mare, ac medios fluctus incedit, & vndiq; circum eum
natant variæ beluæ minantes ei exitium. Puer paruulus
est. Nam potentia Christi aliquando perexigua videtur.
Laborant & periclitantur Apostoli, nec videntur adiu
uari à Christo, & queritur Christophorus inusitatum
pondus esse Puer opprimit baiulum. Sape enim Deus
videtur aduersari, & irasci, & terret pios, ac penè ad de
sperationem adigit. Interim tamen erigit se ille Polyphes
mus

B iij

mus

IN IMAGINEM

mus, ac sustentat se quadam arbore, hoc est, sancti in ter-
roribus sustentant, & erigunt se verbo Dei. Et illa arbor
primum arida postea florere incipit. Nam verbum multos
parit fructus bonos, seruat & Doctorem, & Ecclesiam,
quanquam impij iudicant doctrinam ineptam, & inutilem
esse &c. Præit autem in littore senex cum Lychno. Is signi-
ficat Prophetas, qui ante Christum natum de eo vaticinati
sunt, & testimonio suo nos confirmant. Neq; vero deest
victus pijs, tametsi vbiq; impij cupiant eos oppressos esse.
Ideo in Pera secum piscem, & panem gerit.

EPILOGVS.

Vides quam apte in pictura significatum sit, qualem
esse, & quid sustinere præcipue Doctorem Euangelij
oporteat. Merito igitur laudata est hæc imago, & in om-
nibus picta templis, non vt per superstitionem coleretur,
sed vt nos admoneat nostræ condicionis &c.

IN IMAGINEM CHRISTO: PHIL. MELAN.

Ista piæ mentis formam tibi monstrat imago,
Quæ Christum vera cum pietate colit.
Nam velut in medijs incedit fluctibus Heros,
Qui non magnum humero, sed graue gestat onus.
Sic & multa pios discrimina oportet adire,
Qui verbum portant optime Christe tuum.
Omnia destituunt iustos solatia, nemo
Auxilium tristi tempore ferre solet.
Tu quoq; deseruisse tuos ò Christe videris,
Sunt etiam qui te posse iuuare negant.
Hoc est cur pueri sis pictus imagine, namq;
Conuenit infirmis ista figura magis,
Tu quoq; lapsantes interdum deprimis ipse,
Iraisci quoties te sibi velle putant.
Sustentat tamen & præbet solatia verbum,
Ergo arbor gressus arida facta regit.
Hæc tamen in florem rursus sese induet arbor,
Reddet enim iustis præmia digna Deus.

Ille

IN ICONA CHRISTOPHORI

Arbore nil aliud nisi sanctum intellige verbum,
Rebus in aduersis quod pia corda regit,
Hoc etenim instructi ruimus per saxa, per ignes,
Qui Christi meritum grande docemus opus,
Dic tamen hoc etiam, quid pendens mantica tergo,
Quid sibi cum liquido pisce placenta velit?
Certa pijs nunquam desunt alimenta ministris,
Quiq; Deo fidunt, seruat, alitq; Deus.
Porro quis insignis cana procul ille senectia
Præuius accensa qui face monstrat iter?
Fax, præmissa refert venturi oracula Christi,
Significat vates qui cecinere, senex.
Huc ades ô hospes, tuq; ô puer optime Christe,
Mecum habita, tecum viuere, vera salus.

IN ICONA CHRISTHOPHORI ELEGIA

Melchioris Acontij.

Quis sit, inaurati qui stat prope limina templi,
Conspicuis vasto corpore, forte rogas?
Qui puerum gestans humeris ingentibus, audet
Aequoris incertas arduus ire vias.
Et veluti Cyclops alta regit arbore gressus,
Sustentans valida pondera vasta manu?
Hunc aliquis forsan Polyphemum dixerit esse,
Plorantem amisso lumine damna suo,
Aut alium quemuis genitum de stirpe Gigantum,
Qui contra superas arma tulere domos.
Mitte procul Graijs miracula ficta Poëtis,
Siq; vacat, quis sit carmine disce meo.
Non est effosso Cyclops qui luminis orbe
Pro turpi poenas ebrietate dedit.
Non est Enceladus cœlesti perditus igne,
Ardua flammiumo quem premit Aetna iugo.
Talia monstra suis statuebant plurima templis,
Quos latuit veræ religionis iter.

Hic

ELEGIA MELCHIORIS ACONTII.

Hic alia est ratio, nec quisquam, ut lumina pascant,

Constitui sacris ædibus ista putet.

Aut ut adoremus CHRISTO simulachra relicto,

Vtiliore coli quæ ratione queunt.

Sicut enim Reges, Equitis pictura Georgi,

Quæ deceat CHRISTO munera ferre, docet.

Sic pius hac nobis monstratur imagine Doctor,

Qui populis sacro prædicat ore Deum.

Inde quis hunc, portans Christum quia prædicet orbi,

Nomina Christophorum Graia tulisse neget?

Cur tamen, Aetnæo veluti Cyclopes ab antro

Delapsi, tumidum per mare carpit iter?

Alluiturq; vagis emissio fluctibus Austro:

Intentantq; ipsi monstra marina necem.

Scilicet & curis ingentibus ille premetur,

Doctor & afflictâ plurima mente feret.

Sed tamen in primis crudelia monstra Tyranni

CHRISTHOPHORO sæua mente nocere parant.

Ardentesq; odio veræ pietatis acerbo

Bella virum contra sanguinolenta mouent.

Vt queat hæc igitur perferre pericula, vastum,

Firmius & quouis robore corpus habet.

Nec satis est tot monstra maris, fluctusq; tulisse,

Et non tam varijs succubuisse malis.

Ipsæ puer residens humero procedere rectum

Non sinit, & nimio pondere crescit onus.

Christus enim varia quos arte, modoq; tuetur,

Sæpius arguitur deseruisse pios.

Hostiliq; suos affligere mente putatur,

Cum dubio nullam tempore præstat opem.

Ne tamen occumbat medijs defensus in vndis,

Arbore Christophorus se viridante leuat.

Qua nisi se rursus sustentet, & erigat Heros,

Victus in æquoreis forte iaceret aquis.

C

Illâ

IN ICONA CHRISTOPHORI

Illa Dei verbum signare putabitur arbor,
 Quo regitur Christi nomina quisquis amat,
 Hoc facit vt tuto ridere pericula possit,
 Quæq; notant toto monstra timenda mari.
 Hoc vnum misero solatia tempore præstat,
 Hoc redit afflictis, erigiturq; fides.
 Quid tamen ille senex sibi vult, quem litore stantem
 Cernimus extensa lampada ferre manu,
 Succensq; procul depellere lumine noctem.
 Quæ passim dubijs incubat atra vadis.
 Hunc aliquis sacrum si quis feret esse Prophetam,
 Iudicio recte sentiet ille meo.
 Namq; exempla iuuant vatum, firmantq; volentem,
 Vt mala pro Christi nomine cuncta ferat.
 Talia nam cernens multos tolerasse priores,
 Dignaq; militiæ præmia ferre suæ,
 Non animo detrectat onus commune subire,
 Nec vult dissimilis talibus esse viris.
 His ducibus pelagi contemnit murmur, & audax,
 Fortiter insanas transgredietur aquas.
 Sed cur pera latus cingat, mirabere forsan.
 Quidq; sibi pisces farræq; cocta velint.
 Diuitias amplas, & Croesi possidet aurum,
 Luxuriatq; opibus turba prophana suis.
 Et quibus alma bonis nutrirî Ecclesia debet.
 Ignauî plenis faucibus illa vorant.
 Tristior interea miseros fortuna ministros
 Sæpius indignam cogit habere famem.
 Sed tamen ipse suo Deus hos quoq; tempore pascit,
 Et licet exiguas, attamen addit, opes.
 Hac igitur Veteres istum ratione Cycloperî
 Omnibus in templis constituisse puto.
 Scilicet vt discat pius hac sub imagine Doctor,
 Quanta sit officio iuncta procella suo.

Fortus

ELEGIA MELCHIORIS ACONTII.

Fortunæq; minis ingentibus obuius ire
Audeat, & Christi nomine multa pati,
Quandoquidem talem Deus ipse tuebitur, atq;
Debita qui iustis præmia reddat, erit.
Plura quidem Lector cupiebam scribere, sed me
Christophorus monuit sic satis esse, Vale.

CARMEN AD CHRISTOPHORVM E. QVO
dam vetusto codice.

Christophore ô Diuum grandissime vertice maior
Quam fuit ille Gigas immensi corporis Atlas,
Quamq; Cyclops vastus sicula Polyphemus in ora,
Sic animo maiore nites, qui corpore præstas
Olli humeris mundum fessi tersere Gigantes,
Et vetus Herculeos miratur Roma labores,
Sed tibi nec domitor mundi, nec fama Cyclopum
Aequatur: vincis cunctos nam teste triumphos.
Nam tu orbem, Dominumq; orbis geris optimus hæres
Coelicolum, tantiq; oneris, & lætus honoris
Emenfor, victor pelago, ripaq; potitus,
Non tibi deliciae, nec opes, aut ardua cordi
Imperia exuto gentili sorde, sed vni
Cristicola innixus Domino testante probasti
Martyrio inuictus gladio, flammisq; Tyranni,
Pro quo summa data est tibi gloria, gratia olympo.

APHORISMI POIMENIKI DE CHRISTOPHO:

Qui Christum fers per magnum mare,
Et vis in Ecclesia stare,
Cum DEI prædicas ancilla,
Non vtaris locis mille,
Nec verbis aulae, fori, villae,
Nec dic ego, tu, hic, vel ille,
Nec scurra leuis, aut morosus,
Nec sis spermologus clamosus,

C ij

Non



APHORISMI TOIMENIKOI DE CHRISTOPHORO.

Non sis Therfites in regentes,
Nec debacheris in absentes.
Nec trilinguis disputator,
Stultus stultis stulta fatur.
Simplex, brevis, & honestus,
Vultu, gestu, sis modestus.
Res ex ore Christi petas,
Et scripturae verba metas.
Christi spectes semper honorem,
Non vulgi pifceris fauorem.
Prudens tranquillitati stude,
Nec doctrinas novas cude.
Ora, lege, meditare,
Et bene monenti pare.
Non nisi cogitata feras,
Ingratitudinemq; feras.
Sic CHRISTVM portabis decenter,
Et psalles DEO sapienter.
Et non offendes DEI clerum,
Experto crede, loquor verum.

Inter montes Regis,

Pastor DEI plebis.

IN CHRISTOPHORVM DISTICHON.

Christophorus Christum, Christus si sustinet orbem,
Consistat pedibus dic vbi Christophorus?

ALIVD ITEM DE EODEM.

Per freta quem portas humeris Christus gerit orbem,
Ergo locum, poteras tunc vbi stare, refer?

FINIS.

Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





B.I.G.

Farbkarte #13

11

50.

LEGORIA PICTV.
CHRISTOPHORI RECITATA
gum a Georgio Thymo Cygnæo Recto
cholæ literariæ in vrbe inclytorum
Comitum Stolbergensium
VVerngeroda.

TA SVNT ET D. PHILIPPI
anthonis, item Iohannis Stigeliij, &
aliorum authorum de Christopho
ro carmina insignia & non
inconcinna.

ca.

VVITEMBERGAE.
IN OFFICINA.
Thomæ Klug.
M.D.LV.
MENSE SEPTEMBRI.

26

